corrumpendum. Ezechihel stercore
primum humano. dein bubulo panem
de omni semente conspersum edere iubetur.
& uxoris interitum siccis oculis uidet.
Amos de samaria pellitur. Cur quaeso.
nempe ideo quia chirurgici spiritales secantes
uitia peccatorum ad poenitentiam cohortabantur.
Paulus apostolus. Inimicus factus sum uera
dicens uobis. & quia saluatoris dura
uidebantur eloquia. plurimi discipulorum
retrorsum abierunt. Unde non mirum est
si & nos uitiis detrahentes offendimus
plurimos. Disposui nasum secare feten
tem. timeat qui strumosus est. Uolo cor
niculae detrahere garrienti. rancidulam
se intellegat cornix. Numquid unus
in orbe romano est qui habeat truncas
inhonesto uulnere nares. Numquid
solus onasus segestanus caua uerba
& in uesicarum modum tumentia buccis
trutinat inflatis. Dico quosdam
scelere periurio falsitate ad dignitatem
nescio quam peruenisse. Quid ad te qui
te intellegis innocentem. Rideo aduoca
tum qui patronum egeat. & quadran
tem dignam eloquentiam tuam naso sub
sanno. Quid ad te qui disertus es.
Uolo in nummarios inuehi sacerdo
tes. Tu qui diues es quid irasce
ris. Clausum cupio suis
ignibus ardere uulca
num. Numquid
hospis eius es
aut uicinus quod a delubris idoli nite
ris incendium submouere. Placet mihi
de laruis de noctua de bubone de nili
acis ridere portentis. Quidquid dic
tum fuerit in te dictum putas. In quod
cumque uitium stili mei mucro contorquetur
te clamitas designari. Conserta manu
in ius uocas & satiricum scriptorem
in prosa per hac stulte arguis. An ideo
tibi bellus uideris quia fausto uocaris
nomine. quasi non & lucus ideo dicatur quod
minime luceat. & parcae ab eo quod ne
quaquam parcant. & eumenides furiae.
& uulgo aethiopes uocentur argentei.
Quod si in descriptione foedorum semper irasce
ris. iam tecum persio cantabo formosum
Te optent generum rex & regina. puellae
te rapiant. quicquid calcaueris rosa fiat.
Dabo tamen consilium quibus abscondas
possis pulchrior apparere. Nasus non
uideatur in facie. sermo non sonet ad lo
quendum. atque ita & formosus uideri po
teris & disertus.

## HIER AD ASEL
## LIII LAM DE FICTIS AMICITIIS
## QUI SIBI DETRAHEBANT

Si tibi putem a me gratias
referri posse non sapiam.
Potens est deus super personam meam sanctae
animae tuae restituere quod me
retur. Ego enim indignus nec
aestimare umquam potui nec obtare
ut mihi tantum in Christo largireris
affectum. & licet me sceleratum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0318